

in Concurrentia Festorum servandæ, eadem sunt quæ traditæ fuerunt pro casu Occurrentiæ (cfr. Q. 160, 1º, 2º, 3º); ibidem vero insuper data fuit præferentia Festo fixo præ mobili, et Festo magis proprio præ minus proprio (ibid., 4º, 5º). Hæc Rubrica tamen vim habet tantum in Occurrentia, non vero in Concurrentia.

Unde, concurrentibus duobus Festis quorum unum est fixum et aliud mobile, aut quorum unum est proprium seu magis proprium et aliud generale seu minus proprium, non sunt ex his rationibus Vesperæ integræ tribuendæ Festo fixo aut magis proprio cum Commemoratione tantum Festi mobilis aut minus proprii; sed Vesperæ dicuntur juxta regulas præferentiæ ob ritum, vel qualitatem, vel dignitatem.

Confirmantur dicta sequenti Decreto S. Rituum Congregationis: Ad dubium: « An Festum fixum præ mobili et magis proprium præ minus proprio, quæ duo Festa in Occurrentia, ceteris paribus, præcedentiam habent juxta Rubricas generales Breviarii, Tit. X, n. 6, eadem gaudeant præcedentia etiam in Concurrentia? » S. Congregatio respondendum censuit: « Negative. » (Decret. 6 Maji 1899, n. 4021.)

Q. 188. *Da speciatim regulas pro Concurrentia Officii Dominicæ.*

R. Prænotatur quod Officium Dominicæ cujuscumque, majoris vel minoris, unam si excipias Dominicam in Albis, est ritus semiduplicis (Q. 118).

1º Si cum Dominicæ Officio concurrat Officium ritus duplicis, aut si Dominica concurrat cum Officio ritus duplicis, Vesperæ dicuntur integræ de Officio potioris ritus duplicis, cum Commemoratione Officii semiduplicis Dominicæ; nonnumquam etiam absque ejusmodi Commemoratione, nempe si præstantia Officii duplicis quocum Dominica concurrat id exigit; de qua omissione dicitur Q. 192.

Exempla: Die 7 Augusti celebratur Festum S. Cajetani, Confessoris, duplex minus; supponitur esse Sabbatum, et concurrat cum sequenti Officio semiduplici Dominicæ, ex. gr., IX post Pentecosten; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S. Cajetani, cum Commemoratione sequentis Dominicæ.

Anno 1901, Dominica I in Quadragesima, major 1 classis, sed ritus semiduplicis, occurrit 24 Februarii, et de ea dicitur hac die Officium; concurrat cum sequenti Festo duplici minori S. Walburgis, Virginis (Officium proprium Diocesis Mechliniensis); Vesperæ dicuntur integræ de sequenti Festo duplici S. Walburgis, cum Commemoratione tantum Dominicæ, etsi hæc sit major 1 classis, et etiamsi ipsa in Occurrentia prævaleret cuicumque Festo, et de facto prævaluit Festo duplici 2 classis S. Mathiæ, Apostoli.

2º Si cum Dominica concurrat Officium quodcumque ritus semiduplicis (nempe Festum semiduplex, aut dies infra Octavam, aut Officium Votivum) quod Sabbato dicitur, Dominica dividit suas Vesperas (primas, cfr. Q. 183) cum concurrenti Officio semiduplici. Vesperæ incipiuntur ab Officio semiduplici concurrente, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione præcedentis.

Ita statuitur quia Dominica proprie Psalmos in primis Vesperis non habet; ergo convenit, et quasi necesse est prosequi Officium semiduplex de quo actum est, et adhuc agitur.

Exempla: Die 27 Julii occurrit Festum semiduplex S. Henrici, Imperatoris, Confessoris (assignatum huic diei in Diocesi Mechliniensi); supponitur sequentem diem esse Dominicam, et de ea fieri (ex. gr., anno 1901, die 28 Julii, fit de Dominica IX post Pentecosten); concurrat itaque Festum semiduplex S. Henrici cum Dominica; Vesperæ incipiuntur ab Officio S. Henrici, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione præcedentis.

Anno 1904, 10 Decembris, Sabbato, fit de tertia die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.; hoc Officium semiduplex secundarium concurrat cum sequenti Dominica III Adventus, majori 2 classis; Vesperæ incipiuntur ab Officio de die infra Octavam, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione Octavæ.

Anno 1904, 5 Martii, Sabbato dici potest Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu semiduplici; concurrat cum sequenti Dominica III in Quadragesima, majori 2 classis; Vesperæ incipiuntur ab Officio Votivo, et a Capitulo dicuntur de Dominica, cum Commemoratione Officii Votivi præcedentis.

3º Si ipsa Dominica in suis Vesperis secundis concurrat cum Officio semiduplici quod Feria II celebratur, nempe cum sequenti Festo semiduplici, aut cum

300 (Q. 189) De Regulis in Concurrentia servandis

die infra Octavam, aut cum Officio Votivo, in tali casu Dominica suas Vesperas secundas non dividit cum sequenti Officio semiduplici, sed habet Vesperas integras, cum Commemoratione sequentis Officii semiduplicis. Ita statutum est forsitan ut ipsa dies Dominica dicata, dies Domini, gaudeat aliquo privilegio in suo Officio.

Exempla : Supponitur die 12 Aprilis dici Officium de Dominica II post Pascha ; die 13 Aprilis celebratur Festum semiduplex S. Hermenegildi, Martyris ; secundæ Vesperæ Dominicæ dicuntur integræ, et sequentis Festi semiduplicis S. Hermenegildi tantum fiet Commemoratio.

Anno 1900, 9 Decembris occurrit Dominica II Adventus, ejusque fit hac die Officium ; concurrunt cum sequenti die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; Vesperæ dicuntur integræ de Dominica, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam.

Anno 1904, 13 Martii, occurrit Dominica IV in Quadragesima, ejusque fit hac die Officium ; concurrunt cum sequenti Officio votivo de SS. Angelis, quod dicitur 14 Martii, ritu semiduplici ; Vesperæ dicuntur integræ de Dominica, cum Commemoratione sequentis Officii Votivi.

Q. 189. *Da speciaticim regulas pro Concurrentia dierum infra Octavas.*

R. Prænotatur 1º quod, per Decretum 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 1), S. Rituum Congregatio rescripsit dies infra Octavas tamquam secundarias esse habendas (Q. 147).

Prænotatur 2º quod in responso ad Q. 184 expositum fuit quo sensu dici possit Officium præcedentis Festi duplicis vel semiduplicis, aut Dominicæ concurrere cum sequenti die infra Octavam, cujus Officium incipit tantum ad Matutinum.

1º In Concurrentia diei infra Octavam cum Officio ritus duplicis, aut Officii ritus duplicis cum die infra Octavam, Officium duplex habet Vesperas integras, et diei infra Octavam tantum fit Commemoratio ; hæc quidem aliquando omittitur, ut dicitur Q. 192.

2º In Concurrentia cum Officio Dominicæ distinguendum est, scilicet : si ipsa dies infra Octavam concurrunt cum sequenti Dominica, dimidiantur Vesperæ ; si Dominica concurrunt cum sequenti die infra Octa-

De Regulis in Concurrentia servandis (Q. 190) 301
vam, Dominica habet Vesperas integras, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam. (Cfr. Q. præcedens 188, ad 2º et 3º.)

3º In Concurrentia cum Festo semiduplici sive primario, sive secundario, Vesperæ dicuntur integræ de Festo semiduplici, cum Commemoratione solummodo diei infra Octavam, quæ secundaria tantum est.

Exempla : Die 10 Decembris, fit Officium de tertia die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; 11 Decembris, celebratur Festum S. Damasi, Papæ et Confessoris, semiduplex ; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S. Damasi, cum Commemoratione tantum præcedentis diei infra Octavam. — Pro hac Concurrentia corrigenda sunt omnia Breviaria ante annum 1897 impressa ; nam antea Vesperæ in casu dividebantur, cum dies infra Octavam habebatur tamquam ejusdem ordinis cum Festo semiduplici quocumque.

Die 5 Septembris, celebratur Festum S. Laurentii Justiniani, Episcopi et Confessoris, semiduplex ; anno 1898, die sequenti in Diocesi Mechliniensi fit de die infra Octavam SS. Angelorum Custodum ; Vesperæ dicuntur integræ de Festo S. Laurentii, cum Commemoratione sequentis diei infra Octavam.

NOTA. Dies infra Octavam cum Festo simplici proprie non habet concursum ; quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi Commemoratio, quæ et eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 6.)

Q. 190. *Da speciaticim regulas pro Concurrentia diei Octavæ.*

R. Prænotatur 1º quod, per Decretum 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 2), S. Rituum Congregatio rescripsit diem Octavam esse primariam, vel secundariam, prout Festum ad quod ipsa pertinet primarium, vel secundarium est (Q. 147).

Prænotatur 2º quod de die Octava Octavarum communium aliter dicendum est in Concurrentia quam in Occurrentia. Etenim, in Occurrentia, etiamsi ritus duplicis minoris tantum sit hujusmodi dies Octava, non tamen cedit locum nisi Festo duplici 2 classis (Q. 159), et consideratur ad instar Duplicis majoris veluti privilegiati ; quando autem de Concurrentia agitur, dies Octava Octavarum omnium consideratur tamquam du-

plex minus, nullo modo privilegiatum, nisi pro quibusdam Festis, ut infra in responso dicitur.

Regulæ dantur sequentes :

1° Dies Octava cujuscumque Festi, in Concurrentia cum Festo duplici 1 vel 2 classis, præcedenti vel sequenti, habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Festi duplicis 1 aut 2 classis. In quodam casu quidem, omittitur hæc diei Octavæ Commemoratio, ut dicitur Q. 192 (1°, a).

2° Dies Octava Festi Domini quod primum est, et solemnius seu duplex 1 classis, in Concurrentia cum præcedenti aut sequenti Festo duplici minori, imo duplici majori quocumque, Vesperas utrasque habet integras, cum Commemoratione Duplicis majoris vel minoris. In casu Concurrentiæ ista dies Octava toto jure gaudet ritu duplici majori, et ideo ratione qualitatis et dignitatis prævalet Festo duplici majori concurrenti. Hæc præferentia diei Octavæ hujusmodi tributa fuit ob reverentiam Festis seu Mysteriis Domini debitam.

Exempla : Si dies Octava Ascensionis Domini occurrerit die 10 Junii, concurrent in Vesperis cum sequenti Festo duplici majori S. Barnabæ Apostoli, quod celebratur die 11 Junii ; Vesperæ dicentur integræ de die Octava Ascensionis, cum Commemoratione tantum Festi sequentis S. Barnabæ.

Similiter dies Octava Epiphaniæ Domini, 13 Januarii, concurrent cum sequenti Festo duplici minori S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, habebit Vesperas integras, cum Commemoratione tantum sequentis.

NOTA. I. Animadvertendum est, quod Vesperæ integræ in Concurrentia cum Festo duplici majori dantur tantum diebus Octavis Festorum Domini primariorum, et solemniorum seu 1 classis ; non autem diebus Octavis omnium Festorum solemniorum Ecclesiæ universalis quæ recensentur Q. 187, 2°.

Rubricæ enumerant dies Octavas hujusmodi sequentium Festorum (Tit. XI, n. 7 ; et in Tabella concurrentiæ) : Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, SS. Corporis Christi ; addito : « aliorumque », « si primaria fuerint et solemniora ». Horum aliorum Festorum sequentia possunt indicari :

S. Rituum Congregatio declaravit quod in iis Ecclesiis, in quibus Festum SS. Trinitatis celebratur ritu

duplici 1 classis cum Octava, concurrentibus Vesperis diei Octavæ ejusdem cum sequenti duplici majori, Vesperæ debent fieri integræ de die Octava cum Commemoratione sequentis Duplicis majoris. (Decret. 13 Septembris 1704, n. 2145, antiq. 3706.)

Rescripsit item S. Rituum Congregatio, quoad diem Octavam Dedicationis propriæ Ecclesiæ, quod in concursu cum Festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis Basilicarum SS. Salvatoris et SS. Apostolorum Petri et Pauli (quæ Festa sunt duplicia majora, primaria et Domini), « dies Octava Dedicationis Ecclesiæ propriæ non cedit juxta Rubricas nisi Duplici 2 classis » (Decret. 4 Martii 1901, *Utinen.*, ad 2), et quod « Vesperæ erunt de die Octava cum Commemoratione de sequenti ». (Decret. 24 Martii 1901, *Dubiorum*, ad 7. — Cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, XV, 1901, pag. 332, 400.)

Consequenter iisdem juribus gaudebunt, in Concurrentia cum Festo duplici majori, dies Octavæ Festorum Transfigurationis Domini, SS. Crucis, Sacratissimi Cordis Jesu, in iis Ecclesiis quarum hæc Mysteria sunt Tituli, quia sunt dies Octavæ Festorum duplicium 1 classis, quæ primaria sunt ratione Tituli, et quæ sunt Festa Domini. (Cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, XVII, 1903, pag. 506.)

NOTA. II. Si alicubi Festum Domini duplex 1 classis, sed secundarium, cum Octava celebraretur, quia tunc dies Octava etiam est secundaria, dicendum est in Concurrentia hujusmodi diei Octavæ cum Festo duplici majori, imo cum festo duplici minori primario, præferendas esse Vesperas Duplicis majoris et minoris primarii, et diei Octavæ secundariæ faciendam esse tantum Commemorationem.

Etenim ad dubium : « An privilegium, quod Rubricæ generales Breviarii tribuunt Octavis Festorum Domini..., ut nempe illæ cedant tantum in concursu Duplicibus secundæ classis,..... intelligendum sit de solis Octavis ad Festa primaria pertinentibus ? vel de Octavis quibuscumque ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam. » (Decret. 22 Maji 1896, n. 3908, ad 2.)

Animadvertendum igitur est pro die Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod certo juribus duplicis majoris gaudet in Ecclesiis propriis consecratis; sed S. Rituum Congregatio rescripsit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum esse Festum secundarium pro illis Ecclesiis quæ consecratae non sunt (Decret. 24 Maji 1901, *Dubiorum*, ad 3; cfr. Q. 108); ibi dies Octava erit etiam qualitatis secundariae tantum; sequitur quod in concursu cum Festo duplici majori hæc dies Octava secundaria non gaudet privilegio in istis Ecclesiis et jus non habet ad Vesperas integras, quæ tribuendæ sunt Festo duplici majori, facta Commemoratione tantum diei Octavae Dedicationis; imo eadem solutio applicanda erit in concursu cum Festo duplici minori primario.

3^o Dies Octava alicujus Sancti, etiam B. Mariæ V., in Concurrentia cum aliquo Festo duplici majori, etiam secundo, habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Duplicis majoris.

Exemplum: Die 14 Septembris celebratur Festum Exaltationis S. Crucis, duplex majus, secundarium; concurrat cum sequenti die Octava Nativitatis B. Mariæ V. (15 Septembris); Vesperæ dicuntur integræ de Festo Exaltationis S. Crucis, cum Commemoratione tantum sequentis diei Octavae Nativitatis B. Mariæ V.

4^o Dies Octava Festi alicujus Sancti qui prævalet dignitate personali (Q. 104, IV), nempe B. Mariæ Virginis, necnon SS. Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph Sponsi B. Mariæ V., et SS. Apostolorum, si Festum Octavae primarium est, in Concurrentia cum Festo duplici minori quocumque præcedenti aut sequenti, utrasque Vesperas habet integras, cum Commemoratione Duplicis minoris. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7; et Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896, n. 3908, ad 3.)

Exempla: Dies Octava Assumptionis B. Mariæ V., die 22 Augusti, concurrens cum sequenti Festo duplici minori S. Philippi Beniti, Confessoris, habebit integras Vesperas, cum Commemoratione tantum sequentis.

Anno 1904, die 11 Septembris, celebratur in nostra Diocesi dies Octava SS. Angelorum Custodum; concurrat cum sequenti Festo Diocesano S. Guidonis, Confessoris, quod ritu duplici celebratur die 12 Septembris; Vesperæ dicuntur integræ de die Octava SS. Angelorum cum Commemoratione sequentis Festi S. Guidonis.

Die 5 Julii, celebratur Festum duplex minus S. Antonii Ma-

riæ Zaccaria, Confessoris; concurrat cum die Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli; Vesperæ debent dici integræ de sequenti die Octava SS. Apostolorum, cum Commemoratione tantum præcedentis Duplicis minoris. Item debent dici Vesperæ integræ de eadem die Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli in ipsa die Octava quæ concurrat cum sequenti Festo duplici minori SS. Cyrilli et Methodii, Pontificum et Confessorum, quod celebratur 7 Julii, horumque fiet tantum Commemoratio.

NOTA. Privilegium quod Rubricæ generales Breviarii tribuunt Octavis Deiparæ, ut nempe illæ in concursu cedant solis Duplicibus majoribus, præferentiam vero habeant super Duplicibus minoribus, intelligendum est de solis Octavis ad Festa primaria pertinentibus, non vero de Octavis quibuscumque. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896, n. 3908, ad 2.) Quod in Decreto statuitur pro Octavis B. Mariæ V., applicari etiam debet Octavis diebus reliquorum Sanctorum qui in hac regula supra recensentur.

5^o Dies Octava Festi alicujus Sancti (exceptis Festis illorum Sanctorum qui dignitate prævalent et supra sub 4^o recensentur):

a) si Festum Octavae primarium est, in Concurrentia cum Festo duplici minori primario dividit Vesperas cum Festo duplici; — in Concurrentia cum Festo duplici minori secundo habet Vesperas integras, cum Commemoratione Festi duplicis;

b) si Festum Octavae secundarium est, sive sit B. Mariæ V., sive sit Sanctorum dignitate prævalentium, sive sit Sanctorum quorumcumque, in Concurrentia cum Festo duplici minori primario habet tantum Commemorationem in Vesperis integris Festi duplicis; — in Concurrentia cum Festo duplici minori secundo, dividit Vesperas cum Festo duplici.

Casus frequentior est Concurrentia diei Octavae Festi alicujus Sancti primarii cum Festo duplici minori primario, in quo casu, ut dictum est, dimidiatur Vesperæ.

Exempla: Die 7 Novembris celebratur in Diocesi Mechliniensi Festum S. Willibrordi, Episcopi et Confessoris, duplex, primarium; concurrat in secundis Vesperis cum primis Vesperis diei Octavae Festi Omnium Sanctorum, quod Festum ex solemnioribus Ecclesie universalis est (Q. 187, 2^o); utrumque

Officium est æqualis ritus duplicis minoris et ejusdem qualitatis primariæ: Vesperæ dimidiantur, nempe incipiuntur ab Officio S. Willibrordi, et a Capitulo dicuntur de sequenti die Octava Omnium Sanctorum, addita Commemoratione præcedentis Festi S. Willibrordi. — Ita ordinandas esse in casu Vesperas rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 10).

Ubi S. Martinus, Episcopus et Confessor, est Patronus loci vel Titularis Ecclesiæ, dicitur 18 Novembris Officium de die Octava S. Martini, ritu duplici; die 19 Novembris celebratur Festum S. Elisabeth, Viduæ, ritus duplicis; concurrunt Officium duplex diei Octavæ S. Martini, secundis suis Vesperis, cum Vesperis primis Officii S. Elisabeth; utrumque Officium est æqualis ritus, et ejusdem qualitatis primariæ; Vesperæ incipiuntur ab Officio de die Octava S. Martini, dicuntur a Capitulo de S. Elisabeth, et additur Commemoratio præcedentis diei Octavæ S. Martini.

6° Die Octava concurrente cum alia die Octava:

a) Si Festum unius Octavæ prævalet alteri classe, qualitate, aut dignitate, Vesperæ integræ dicuntur de die Octava Festi prævalentis, cum Commemoratione alterius.

Exempla: Concurrente die Octava SS. Corporis Christi cum sequenti die Octava S. Joannis Baptistæ, ratione dignitatis dicuntur Vesperæ integræ de die Octava SS. Corporis Christi et de sequenti fit tantum Commemoratio. (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7.)

Anno 1901, die 17 Novembris, fit in Diocesi Mechliniensi de die Octava Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, quod est Festum Domini; ubi S. Martinus est loci Patronus, die sequenti, 18 Novembris, fit de die Octava Patroni; concurrunt dies Octava Dedicationis cum sequenti die Octava S. Martini; item ratione dignioris Festi Domini dicuntur Vesperæ integræ de die Octava Dedicationis, et de sequenti fit tantum Commemoratio.

Die 2 Januarii celebratur dies Octava S. Stephani Protomartyris; et die sequenti, 3 Januarii, dies Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ; concurrunt dies Octava S. Stephani in secundis Vesperis cum primis Vesperis diei Octavæ S. Joannis; S. Joannes Apostolus dignitate prævalet S. Stephano; ergo juxta regulam datam Vesperæ diei 2 Januarii dicendæ forent integræ de sequenti die Octava S. Joannis cum Commemoratione præcedentis diei Octavæ S. Stephani. Sed Breviarii Rubricæ particulares ad hæc Officia præscribunt Vesperas esse dimidandas, et a Capitulo tantum debere dici de S. Joannis die Octava. — S. Rituum Congregatio hac super re interrogata, respondendum censuit: « Servetur in casu Rubrica specialis Breviarii Romani. » (Decret. 13 Januarii 1899, n. 4006, ad 1.) Non paucae sunt Rubricæ speciales hoc tempore Nativitatis, inde a Festo S. Stephani, quæ exceptiones statuunt ad Rubricas generales tum Breviarii tum Missalis, et quas Ecclesia retinuit.

b) Si autem utrumque Festum Octavæ est in omnibus æquale, Vesperæ dimidiantur: « die Octava concurrente cum alia die Octava, ceteris paribus, a Capitulo fit de sequenti cum Commemoratione præcedentis. » (Rubricæ generales, Tit. XI, n. 7.) — Hujusmodi Concurrentiæ exemplum in nostro Calendario non datur.

Q. 191. *Da speciatim regulas pro Concurrentia Officiorum Votivorum.*

R. Quæstio ponitur pro Officiis Votivis per hebdomadam diebus liberis concessis, de quibus agitur in Tractatus Parte III, Sectione I, § 7, QQ. 149-154.

1° In Concurrentia Officii Votivi cum quocumque Festo ejusdem ritus, tum primario, tum etiam secundario, prævalent semper Vesperæ Festi, quæ integræ dicuntur, et fit tantum Commemoratio Officii Votivi. (Decreta S. Rituum Congregationis, 23 Augusti 1895, n. 3870; et 30 Novembris 1895, n. 3875, ad II, 2.)

Exempla: Quando Littera Dominicalis est C, 15 Octobris in qua celebratur Festum duplex S. Teresiæ, Virginis, est FERIA VI; dies 16 Octobris, Sabbatum, est dies libera, et dicitur Officium Votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., ritu item duplici (cf. QQ. 150, 152); nulla habita ratione dignitatis personæ B. Mariæ V., dicuntur FERIA IV Vesperæ integræ de Festo S. Teresiæ, et fit tantum Commemoratio Officii Votivi.

Eodem anno, 25 Augusti, FERIA IV, celebratur Festum S. Ludovici, Regis et Confessoris, semiduplex; FERIA V sequenti, 26 Augusti, die libera, dicitur Officium Votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, ritu semiduplex; dicuntur FERIA IV Vesperæ integræ de Festo S. Ludovici, cum Commemoratione sequentis Officii Votivi de SS. Sacramento.

2° Officia Votiva inter se concurrentia, si sint ejusdem ritus, dividunt semper Vesperas, ita ut initium dicatur de concurrenti, et a Capitulo fiat de sequenti, cum Commemoratione præcedentis.

Ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 14 Augusti 1894 (n. 3837), quo distinctio qualitatis Festorum etiam extensa confirmabatur ad Officia duplicia minora et semiduplexia, quidam censebant distinctionem dignitatis personarum etiam applicandam esse Officiis Votivis, ita ut si, ex. gr., FERIA IV diceretur Officium Votivum de S. Joseph, et FERIA V Officium Votivum

de SS. Sacramento (utrumque est semiduplex), Vesperæ essent integræ de SS. Sacramento, cum Commemoratione tantum præcedentis S. Joseph; S. Rituum Congregatio, Decreto 22 Maji 1896 (n. 3908, ad 1), rescripsit Vesperas in casu semper debere dividi; itaque in casu, Feria IV initium Vesperarum dicitur de S. Joseph, et a Capitulo de SS. Sacramento, cum Commemoratione præcedentis S. Joseph.

3° De Concurrentia Officii votivi cum Dominica jam fuit dictum Q. 188, 2° et 3°.

NOTA. Placet hic loci Quæstionem ponere de Officio Votivo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. concurrente cum Dominica de Passione. Etenim Officia Votiva prohibentur recitari tempore Passionis (Decret. S. Rituum Congregationis 5 Julii 1883, n. 3581, antiq. 5879; cfr. Q. 151); sed tempus Passionis incipit a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis; unde dices de Officio Votivo fieri posse tantum usque ad Nonam inclusive, et Vesperas debere esse integras de Dominica absque Commemoratione quidem præcedentis Officii Votivi.

Sed dicendum est Vesperas, de quibus in casu, debere esse de Officio Votivo Immaculatæ Conceptionis usque ad Capitulum, et a Capitulo de Dominica Passionis cum Commemoratione præcedentis Officii Votivi. Ita resolutum fuit a S. Rituum Congregatione pro casu simili circa Vesperas Sabbati ante Dominicam primam Adventus, proposito eo tempore quo Officia Votiva prohibita erant in Adventu. (Decret. 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 13.) Sententiam probatam proponunt Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 396.

Q. 192. *Juxta primam regulam traditam Q. 186, cum Vesperæ integræ dicuntur de majore, fit ordinariæ Commemoratio minoris; nonnumquam tamen, id exigente præstantia majoris, Commemoratio minoris omittitur; quando hoc accidit?*

R. Hæc minoris Officii Commemoratio omittitur aliquando in casu Concurrentiæ minoris Officii cum Festo duplici primæ vel secundæ classis, idque ex motivo

excellentiæ hujusmodi Festorum, quæ, sicut in Concurrentia rejiciunt Commemorationem aliquorum concurrentium Officiorum (Q. 164), ita et in Concurrentia quoque privilegio gaudent, ut solummodo de eis fiat, sine adjunctione quorundam concurrentium; et cum Concurrentia in solis Vesperis locum habeat, et in Festis primæ Vesperæ sint secundis nobiliores (Q. 63), in Concurrentia Vesperæ primæ majori gaudent exclusionis privilegio, quam secundæ, ut ex sequentibus regulis patebit.

1° a) **Festum duplex 1 classis, in primis suis Vesperis,** rejicit Commemorationem cujuscumque præcedentis seu concurrentis Officii; excepto si præcedens sit Festum duplex 2 classis, aut dies Octava alicujus Festi Domini, aut Dominica major.

Et ita speciatim pro nonnullis diebus Octavis Festorum Domini S. Rituum Congregatio conformiter huic Regulæ statuit:

Ad dubium: « In primis Vesperis Festi duplicis 1 classis Commemoratio diei Octavæ Dedicationis propriæ Ecclesiæ, cujus Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. » (Decret. 24 Maji 1901, *Dubiorum*, ad 9.)

Ad dubium: « Quando concurrat dies Octava SS. Trinitatis cum sequenti Festo duplici 1 classis, debetne fieri Commemoratio Octavæ prædictæ? » Responsum S. Congregationis describitur in Collectione sequens: « Negative; et servetur Rubrica de Concurrentia. » (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, antiq. 5929, ad 7.) Nihilominus Ephemerides Liturgicæ innuunt responsioni « Negative » sufficiens esse verbum « Affirmative », et Rubricam quæ in Decreto servanda dicitur, illam esse quæ ex Decreto 2 Decembris 1897 reformata prostat post Tabellam Concurrentiæ. (Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 338; et XVII, 1903, pag. 510.)

Exempla: Die 30 Junii, dicitur Officium Commemorationis S. Pauli, duplex majus; die 1 Julii celebratur in Diocesi Mechliniensi Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, ritu duplici